Gerardus <de Zutphania> : Tractatus de spiritualibus ascensionibus
Köln: [Johann Landen], [ca. 1498] Seite 75



tertio ascensionis gradu incipiunt deo adherere. Est enim oratio hois deo adherentis affectio. et familiaris quedam et pia allocutio. Sz videamus quomodo ista tria nos in ascensionibus premissis promouent et adiuuant et sustentant. si debite dirigantur et discrete assumantur.

## ¶ Qualiter sacra lectio adiuuat et sustentat ascendentes et qualiter sit ad profectum spiritalem ordinanda et dirigenda. Capi. xliiij.

Igitur timore percussus et compunctione depressus affectu quoqz et desiderio ascendendi inflammatus lectionem tibi arripe ad tuum profectum. ita vicz vt te semper ad ascendendum admoneat. ad proficiendum hortetur. vt quicquid legis ad ascensum puritatis et caritatis tibi proficiat vel viam ascensus per sancta opera et exercitia ostendendo vel affectum tuum ad ascendendum inflammando. timorem incutiendo vel per spem subleuando. Itaqz vt quidam ait cristiano philosopho. lectio admonitio debet esse non occupatio. Hoc autem facile fiet si secundum doctrinam Augustini initium cum volueris legere sit timor domini. si vicz timor intentionem et affectum tuum regulet vt non nisi profectum queras spiritualem ad cordis puritatem. et sicut ille sanctus Antonius de quo refert Grego. in. 4. dialogo. non queras sciam verborum sz fletum compunctionis inquiras. quatenus per hoc excitata mens tua inardescat et ima deserens ad celestia bona tendat. Sane vt tibi lectio pro spirituali ascensu sit fructuosa. multa sunt tibi attendenda videlicet quid legis. quando legis. quomodo legis. et ad quid legis. Quid legis?

http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-i-44-3/0075
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
gefördert durch die DFG